



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An, & quomodo Rescripta fiant obreptitia, si per dolum sint impetrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ter non sint ipso jure irrita, ope tamen exceptionis ab adversario elidi possint *c. si autem. 9. & c. plerumque 23. h. t.* Cùm enim in casu rescripti beneficiæ aut gratiæ, non sit pars, quæ contra illud excipere possit, sit autem in casu rescripti ad lites, consequenter in illo casu, cessante provisione hominis, debuit providere lex, ne diu detineat beneficium illegitimè obtentum ille, qui per rescriptum subreptione obtentum illud acquisivit, contrarium verò dicendum fuerat in casu rescripti subreptione obtenti ad lites.

§. II.

An & quomodo Rescripta fiant obreptitia, si per dolum sint impetrata?

Si obreptio dolosa commissæ sit in rescripto, sive tacite, sive aperte, sive exprimitur falsum (substantiale & essentiali) totum rescriptum, quo ad omnes partes in eo contentas sit irritum (saltem ope exceptionis, si rescriptum ad lites fuerit) ita ut Judex in eo datus non debeat, si ob- aut subreptio talis ei probata fuerit, vel notoria sit ex facti evidentia, nec possit de causa principali, ne quidem secundum formam juris communis cognoscere, quamvis Princeps, si dolum non intervenisset, adhuc, saltem secundum formam, & terminos juris communis rescripturus fuisset: prout habetur expressè in *c. super literis. 20. h. t.* & patet etiam ex *c. sedes. 15. & c. ex tenore. 16. h. t.* (ne fraus sua alicui Patrocinetur) nisi subreptio talis per dolum commissæ, nec substantiæ rescripti ad lites oblit, quæ in jurisdictione delegata consistit, nec formæ

rescripti, quæ est ipse modus procedendi judici delegato præscriptus, nec alicujus alterius, quod per se & intrinsicè ad causam commissam pertinet, causa fuerit, cùm ex fraude taliter commissæ nullum commodum sentiat mendax precator; vel nisi non tam impetrans, qui verum proposuit, quàm curialis seu sollicitator, aut scriptor fraudem commiserit, cùm in tali casu non impetrans, qui verum proposuit, in culpa sit, sed sollicitator talis; vel de veritate precum tantum, & articulo subreptionis cognoscat Judex in tali rescripto datus, quòd facere potest.

§. III.

An & quomodo ob subreptionem vitentur Rescripta obtenta per simplicitatem vel ignorantiam?

Si subreptio non dolosa fuerit, sed ex simplicitate, vel ignorantia, etiam crassa, fuerit commissæ, sive per expressionem falsi, sive per suppressionem veri (substantialis & essentialis) contigerit, rescriptum ad lites non redditur absolute irritum, si taciturnitas talis, aut talis falsitas non sit causa concessionis absolute, prout patet ex citato *c. super literis §. inter alios* (nisi causâ concessionis, hic & nunquam per ignorantiam, aut simplicitatem tacitâ, vel falsè expressâ, aliud quò ad substantiam rescriptam impetrasset) hoc enim in casu, non tam attendendum est, quid Princeps acturus fuisset, si nulla veri suppressio, aut falsi expressio intervenisset, sed attenditur, quid egerit. Et hinc 1. nullum esset (saltem ope exceptionis) rescriptum, si solutionem petens ex causa donationis & c. debitam,